



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xix. De Testamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

fed post eius decessum Ecclesie erunt restituenda, nec testamentario, aut successorio iure cuiquam hæredum pro hæredumve relinqui possunt, nisi forsitan cui Episcopus propter obsequia Ecclesie præstita elargiri voluerit^a.

^a c. fin.

DE TESTAMENTIS,

TITVLVS XIX. ET

ultimus.

Non alienum fuerit hoc loco breuiter etiam de testamentis aliqua retulisse: nam etsi nobis propositum sit hoc volumine ea duntaxat tractare, quæ Pontificij iuris propria sint, tamen quia hæc materia secundum ius nostrum propria quædam præcepta habet à iure civili discrepantia, necessarium esse duximus, ea quoque demonstrare, sed primùm tamè ab ipsis Iureconsultis Cæs. diffinitionem mutuemus.

^b l. i. ff. cod.

Est igitur testamentum nostræ voluntatis iusta sententia de eo quod quis post mortem suam facere voluerit^b: in quo condendo quamvis leges Ciuiles maiorem testium numerum requirant, ius tamen nostrum

ea quoque testamenta recipit, quæ coram suo presbytero, & tribus vel duabus alijs personis idoneis facta sint, & executionem eis concedit omni consuetudine reiecta, quæ maiore testium numerum desideraret^c.

^c c. cum esset. cod. tit.

Item hoc iure, qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem confert, non videtur intestatus decedere^d. Nec minùs executionem merebitur testamentum ad pias causas, quamvis per verba enunciatiua ad aliud prolata scriptum sit^e.

^d c. cum tibi.

^e c. si. de success. ab intest.

Sciendùm est, Episcopis, Presbyteris, & alijs clericis, qui per hæreditatem, vel alium modum, intuitu personæ aliquid acquisierint, donare id licere, cui voluerint, dum viuunt: sin antè obierint, quàm hoc fecerint, altaribus, cui seruiunt, omnia perpetuò consecrantur, & in ius eius trahuntur, si nullos consanguineos habeant^f.

^f c. i. de success. ab intest. ubi gl.

III.

DE SACRAMENTIS Ecclesie.

Hæc de rebus sufficiant, nunc de Sacramentis Ecclesie tractemus.

FINIS LIBRI SECVNDI.